primit, discordias sedat, inimicitias deniq; componit. Verissimum illud quoq;
nec privatos focos nec publicas leges nec libertatis iura chara habere
posse eum, quem discordia, quem cædes civium, quem bellum civile delectat. Ego
tamen alia tempestate pacem suscipiendam, sed urgentes necessitates
in contrariam sententiam me impellunt, quidquid dicturi sint illi, qui specio-
sissimo pacis titulo potentiæ suæ inter gloriæ iniuriam, hostium teme-
ritatem, civium vexationem, et ultimam deniq; regni tui ruinam contegunt.
Nam si quod sentio dicendum est, exoptanda quidem nobis est pax exoptan-
da, si tamen diuturna et stabilis fuerit. Quid enim causæ est quod bello
pacem præponamus, quæ et inutilis et nihil præter continuam habitura est
formidinem. Ego sic existimo: si tibi bellum et pax proponatur, sed ea
conditione ut neq; bellum pace, neq; pax bello quietior sit, bellum a te
pace relicta suscipiendum. Quid enim in tali pace sperandum est, nisi civiles
discordiæ, intestinæ coniurationes, virtutis militarisq; fortitudinis torpor
atq; alia infinita, quæ utinam omnia narrarem solum, non autem maximis afflictis-
simæ Germaniæ malis expertus dicerem. Enim vero quando unquam tantis
cladibus est afflicta nisi in segni atq; ingloriæ turpissimæ pacis torpore.